URBANUS PP. VIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sacrosanctum Aplatus offium, quod humilitatem nram, nullo licet meritorum suffragio gerere voluit Altissimus, iugiter postulat, ut paternam locorum piorum quorumlibet, et præsertim Hospitalium ad Pauperum, et miserabilium personarum solamen, et refugium pie fundatorum curam gerentes, privilegia, gratias, et indulta, illis a Rom. Pontificibus Prædecessoribus nris concessa, quo validius perpetuo subsistant aplicæ confirmationis robore libenter communiamus. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Administratorum Hospitalis quinque Plagarum Christi nuncupati Hispalen. Nobis expositum fuit, quod alias Catherina de Rivera Nobilis Mulier et Uxor dum vixit quondam Petri Henriquez et de Rivera Hispalen. de suis propriis bonis liberis Hospitale præfatum pro subventione pauperum Mulierum fundavit, et subinde Henricus etiam de Rivera eius Nepos fundationem seu dotationem huiusmodi auxit condicione adiecta, ut in eodem Hospitali pauperes quoque viri admitterentur, successu autem temporis redditus annui dicti Hospitalis, qui ex bonis a prædictis Catherina et Henrico assignatis, scuta quatuor millia monetæ illarum partium non excedebant ex aliis bonis eidem Hospitali a nonnullis Christifidelibus relictis aucti sunt usque ad summam viginti quatuor Millium scutorum similium, præfati vero Catherina et Henricus fundatores in Patronos et Administratores perpetuos eiusdem Hospitalis, exclusis ab illius administratione seu Patronatu quibuscunque ipsorum fundatorum descendentibus, et signanter eorum Maioratuum hæredibus, deputarunt et nominarunt Priores pro tempore existentes Ecclesiarum, Domorum, seu Conventuum Sanctæ Mariæ de las Cuevas Carthusien., et S. Isidori del Campo, ac Sancti Hieronymi de Buenavista respective nuncupatarum eiusdem Sancti Hieronymi Ordinum, qui semper Hospitale præfatum gratis administrarunt. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat fel. rec. Alexander VI, Leo X, Clem. VII, Paulus III et Iulius etiam III aliique Romani Pont. Prædecessores nri fundationem, ac Patronorum et Administratorum præfatorum nominationem et deputationem confirmaverint, denuoque Hospitale sub huius Sanctæ Sedis immediata protectione susceperint, ita ut quod Successores et propinqui ipsorum Catherinæ et Henrici fundatorum, iuxta eorum mentem et dispositionem ab ipsius Hospitalis gubernio exclusi essent, deinde Hospitale pro potiori cautela cum omnibus eius bonis et possessionibus, ac illius Officiales, familiares, domesticos, Commensales, et quosvis alios sub Dominio dicti Hospitalis existentes, utriusque sexus tam Clericos, quam laicos, atque eiusdem Hospitalis Ecclesias ab omni Iurisdictione, visitatione, Dominio, et potestate tam spirituali, quam temporali quorumcunque Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, et aliorum Ordinariorum penitus et omnino exemerint, prout in singulis litteris aplicis desuper emanatis, ac singularum fundationum huiusmodi dispositionibus plenius dicitur contineri: Administratores vero et Patroni dicti Hospitalis, qui ut asserunt in pacifica et quieta possessione administrationis et Patronatus præfatorum huiusque extiterunt, et ad præsens existunt, pro firmiori præmissorum subsistentia cupiant illa aplicæ nræ confirmationis patrocinio communiri. Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes. Huiusmodi supplicationibus inclinati; Præfatas Romanorum Pont. Prædecessorum huiusmodi litteras præmissorum confirmatorias, quoad ea, quæ Concilii Tridentini decretis et Constitutionibus aplicis non adversantur apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus et approbamus illisque perpetuæ inviolabilis aplicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes præsentes litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere dictisque Hospitali et illius Modernis, et pro tempore existentibus Administratoribus et Patronis in omnibus et per omnia plenissime suffragari debere ipsosque nullo unquam tempore desuper molestari, impediri seu inquietari posse, sicque per quoscunque Iudices Ordinarios et delegatos etiam Causarum Palatii Aplici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, Vicelegatos, ac dictæ Sedis Nuncios iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis Causarum Cameræ aplicæ Generali Auditori, ac Archidiacono Ecclesiæ Hispalen., necnon Officiali Hispalen. per aplica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios easdem præsentes ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Modernorum et pro tempore existentium Hospitalis præfati Patronorum et Administratorum seu alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nra easdem præsentes, et in eis contenta quæcunque ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ipsosque Modernos, ac pro tempore existentes Hospitalis præfati Patronos et Administratores præmissis omnibus et singulis iuxta earundem præsentium litterarum formam tenorem, et continentiam pacifice frui et gaudere non permittentes eos desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus illos sententias, censuras, et poenas huiusmodi incurrisse servata forma Conc. Tridentini declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus quibusdam nris litteris XXXI. Ianuarii MDCXXVI. seu aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nrorum desuper emanatis literis, ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII etiam Prædecessoris nri, de una in Concilio generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Iudicium non evocetur, aliisque quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus aplicis, ac ipsius Hospitalis ac Ecclesiarum et Ordinum huiusmodi etiam iuramento confirmatione aplica vel alia quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris aplicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Sub Annulo Piscatoris Die IX. Octobris MDCXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

M. A. Maraldus

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

R. P. D. Malino

Hispalen. Hospitalis

Breue ap.licum S.mi D. N. D. Vrbani Papae octaui pro p.te RR. Prioris, et Conuentus S. Isidori del Campo per compulsum productum

Die 2a 8bris 1639

Iosephus Burgiotti notarius

3/

23

DIPUTACIÓN PROVINCIAL SEVILLA · ARCHIVO

PERGAMINOS, 36
Hospital de las Cinco Llagas, leg. 3

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO